

Non sine magna animi voluptate litteras tuas, a. d. 8 Jun. scriptas perle-
xi. Nam et proximam tibi valetudinem repetitam esse ex iis intellexi, et alia quae
dam non minus jucunda cognovi de Jenensium rebus quae mihi valde sunt
curae cordique, et vero chàm, quod maximè opere lactor, ^{tuum} latinarum litterarum
amorem, quo inde a teneris te imbutum esse non ignoro, necdum esse immu-
tatum perspexi. Quantum vellem multos ~~tu~~ tui similes existere, qui,
quum in academiam migraverint, non omne continuo abjicerent Latii de-
fidem. At quotus quisque hodie, imprimis inter juris consultos reperitur
qui praeter suos istorum libros alios studiose evolvat, nedum ut scriberet
exercitationes inrituat.

Apud nos quidem nihil accidit quod scire tua interesse possit. In
magna etiam nunc expectatione versamur, quem Scholae rectorem habitum
simus. Quum et dux serenissimus Londini sit, et vir excellentissimus
de Carlowitz qui duci est a consiliis intimis, in thermis Carolinis ver-
setur, nondum quidquam decretum esse suspicor. Id unum scio nihil
me ardentius provisi diu in votis habere, quam ut gymnasium eum

nanciscatur moderatorem, qui pristinum et ejus splendorem et tui queat,
et si fieri potest etiam augeat.

De meis rebus si quaeris, ego ut qui altiora non cupidius appetam
eundem insisto tramitem. Ego valeo et mei valent; filiola Anna,
quam nosci, ex morbillis quibus nuper tentata erat modo convaleuit.

Communes apud Jenenses amicos, si qui mei memores sunt, meis
verbis saluta; tu autem, quod facis, me amare perge. quam pri-
mum si rescribas, mihi gratissimum erit.

tui amantissimus

E. F. Wuestemann

Gothae,

1 Jul. 1838.